

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Relinquere r
cum fonte primo

Qui uult uenire post me, abneget
semetipsum et cetera.

Ad se uenientibus Dominus
precipit ut renunciemus nostris quia
qui ad fidei agonem uenimus,
luctamen contra malignos spiritus
sumimus. Nichil enim maligni spiritus
in hoc mundo proprium possident.
Nudi ergo cum nudo luctari debemus.
Nam si uestitus quisque cum nudo
luctatur, cicius ad terram
deicitur qui habet unde teneatur.
Quid enim sunt terrena omnia
nisi corporis indumenta?
Qui ergo contra dyabolum ad certamen
properat, uestimenta abiciat ne
succumbat.

Gregorius in omelia.

Quid uero in hac lectione dicat
audiamus:

*Qui uult post me uenire, abneget
semetipsum* (Lc. 9:23).

Ibi dicitur ut abnegemus nostra, hic
dicitur ut abnegemus nos. Et fortasse
laboriosum non est homini relinquere
sua, sed ualde laboriosum est relinquere
semetipsum. Minus quippe est abnegare
quod habet, ualde enim multum est
abnegare quod est.

Ad se autem nobis uenientibus Dominus
praecepit ut renuntiemus nostris, quia
quisquis ad fidei agonem uenimus,
luctamen contra malignos spiritus
sumimus. Nihil autem maligni spiritus
in hoc mundo proprium possident.
Nudi ergo cum nudo luctari debemus.
Nam si uestitus quisque cum nudo
luctatur, citius ad terram
deicitur, quia habet unde teneatur.
Quid enim sunt terrena omnia,
nisi quaedam corporis indumenta?
Qui ergo contra diabolum ad certamen
properat, uestimenta abiciat ne
succumbat.

Gregorius Magnus, *Homiliae in*
euangelia, 2, 32, 1-2 (CCSL 141, R.
Étaix ed., p.278, ll.15-28).